DE PRAESIDIIS MORBIS DIAETETICIS

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT

SUMMI SIBI IN MEDICINA ET CHIRURGIA RITE CONCEDANTUR HONORES

AUCTOR

DAVIDES ARNHEIM

MEGAPOLITANUS

DIE XIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXI

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET.

OPPONENTIBUS,

H. HERCKENRATH, MED. ST.
S. JOEL, MED. DD.
L. NEUFELDT, MED. DD.

BEROLINI

TYPIS GUIL. LEOP. KRAUSE BIBLIOPOLAE.

Nullum efficax remedium medicina habet, quod solidum auxilium afferre possit, si ei victus ratio resistat, vel illud non adjuvet.

GALENUS.

VIRO

PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO

CH. GUIL. HUFELAND

MEDICINAE DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTUTI POLICLINICI UNIVERSITATIS DIRECTORI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS STATUS ET ARCHIATRO, ORDINIS AQUILAE RUBRAE CLASSIS SECUNDAE EQUITI, NOSODOCHII CARITATIS MEDICO PRIMARIO, ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM BEROLINENSIS, SOCIETATIS MEDICAE PARISIENSIS, PETROPOLITANAE, MOSCOVITICAE, VENETAE, BRUXELLENSIS, HELVETICAE ALIARUMQUE SODALI

PRAECEPTORI

SUMMA VENERATIONE COLENDO

PATRONO

DE SE LONGE MERITISSIMO

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

DAT DICAT DEDICAT

AUCTOR.

L. B. S. P. D.

Veteres artis salutaris nostrae fundatores diaeta fere sola aegris medicatos fuisse, plurimos morbos, eosque gravissimos, nostris adhuc temporibus diaeta sola curari posse, permultis exemplis certior factus, Viros in medendi arte Experientissimos regimen diaeteticum curationis adjumentum et praeservativum nec non curativum maximum, omni aetatis aevo commendasse, edoctus, ipse ejus in morbis curandis vim observans, studio, ejusque amore maxime affectus sum. Quare non ostentandae eruditionis, experientiaeque causa, quarum indigeo, sed me ipse ut docerem, quomodo meorum aegrorum salutem adjuvarem, hocce opusculum, dissertationis specimen concipere animus me tulit. Sicuti theoriae praecepta in generalisatione, praxeos medicae autem in individualisatione, ni fallor, consistunt, in curatione diaetetica etiam, individua, quaeque omnia ad illa attinent, re-

mediorum diaeteticorum copiam viresque cognoscamus, oportet, ne tirones, aëris, motus, quietis, vigiliarum, somni, humorum secernendorum excernendorumque, animi pathematum, munditiei, integumentorumque rationibus viribusque non respectis, omnibus in morbis alimentis aqueis mucilaginosis, hordei, avenae, oryzaeque decoctis solis adhibitis, curationi diaeteticae, omnibus numeris absolutae satisfecisse, opinemur. Scio quidem, medicum, idea de morbo ejusque curatione sapienter concepta, et in diaeta erraturum non fore, juvat vero, sicuti omnibus in rebus, et hic, secundum ordinem quendam diaeteticorum commemorari eaque in usum provocare. Ille enim solus verus medicus mihi esse videtur, qui, morbo dignoto, omnia quae in aegrotorum salutem vim afferant, bene cognoscat, eisque ordine atque certitudine dispositis, uti valeat.

Hujus opusculi integritati permultum, in singulis morbis tractandis praecipue, adhuc deesse, me non fugit. Cum autem tempore urgente, non aedificium perfectum, sed fundamentum curationis diaeteticae mihi condere solummodo volebam, indulgeatis, oro, rogoque.

Vitae perpetuae, inoffensaeque salutis amor cunctis, quae respirant, est inditus. Animal instinctu, sui conservandi causa, utitur. Homo, mente natura donatus, multimode variisque causis errare potest. Rerum nos semper adeuntium itaque disciplina, quae vitae rationem fini proposito aptissimam reddere nos docet, summi est momenti, diaeteticaque nominatur. Quae cum diaeta enim de rebus, quas in perennem usum vocamus, tractet, sanitas, constitutio corporis, morbique ab illa recte vel false instituta, dependent. Non in sano enim statu solummodo maximam sanitati conservandae vim affert, sed int adversae valetudinis curatione etiam summi es ponderis.

Iuvat curatione praeservativa omnes in morbos, deinde et adjumentum curationis necessarium, summum denique morbis auxilium praebet.

Excretio partium obsoletarum per naturales vias, earumque restauratio per alimenta perennitatis nostrae lex cardinalis habetur. Utrasque aër efficit, somnus vigiliaeque, motus requiesque et affectus animi naturam in perficiendis his ne-

gotiis adjuvant, quae omnia secundum regulas diaetetieas bene sapienterque instistuta, morbos imo dispositionem morbosam extinguere valent.

Diaetetica paucis solummodo regulis univasalibus, semperque probandis, gaudet. Pleraque praecepta sua conditionibus subjecta sunt, aetas, sexus, temperamentum, corporis structura, victus ratio, eonsuetududo, dispositio hereditaria, morbi denique varii et idiosyncrasia respiciantur.

Princeps bonae valetudinis, firmae, constantis, diuturnaeque vitae remedium in familiarisatione cum rebus nos semper ambientibus, in corporis nostri corroboratione, nervosque irritamentis earum familiares eo reddendo constat, quod potentiis earum saepe exponamur, i. e. consuetudines bonas acquiramus. Cibos duros et mites, quietis motusque penuriam, facilesque molestias, omnem aëris viscissitudinem sufferre apti simus, *) cui in juventute, rationibus habitis, fundamentum gradatim optime substruitur. Diaeta enim celeriter mutata, et si melius paratur, valde nocet **). Quae regula et in diaeta aegrotis praescribenda, quamque tractare experturus sum, maximopere prodest.

Veteres illas res, quae valetudinem hominum adeunt, in naturales dividebant. „Qui sanitatem vult restituere, decenter debet investigare septem res naturales, quae sunt: elementa,

---

*) C. Celsus de medic. lib. 1. c. 1.

**) Lud. Cornaro de vita sobria. Antwerp. 1613. p. 19.

complexiones, humores, membra, virtutes, spiritus, et operationes; et res non naturales, quae sunt sex: aër, cibus et potus; motus et quies, vigiliae et somnus, inanitio et repletio, et accidentia animi." *) Quem secundum earum non naturalium ordinem ab auctoribus probatum, in morbis regimen diaeteticum, rebus physicis, chemicis physilogicisque breviter solummodo tractatis, nonnullaque de munditie, integumentisque adjecta explicare mihi liceat.

De Aëro.

Aër primum vitae elementnm, tribus viis pulmonibus, oesophago, totiusque cutis superficie externa nobiscum communicatur. Secundum Cel. Bercelii inquisitiones, analysesque atmosphaeria 78,999 gas azot., 21 aëris vitalis, 0,001 circiter parte gas carbonici est composita. Talis aër purus habetur, quem atmosphaeria aegroti, quantum fieri potest, aequet. Quod ad puritatem ejus attinet, medicus illius mixtionem praecipue spectet, an constitutivae aëris partes ratione apta etiam combinatae sint, praeprimis ne oxygenii quantitati necessariae quidquam deficiat, deinde provideat, ne partes heterogeneae illi admixtae sint, qnae duplici modo nocent, primum quod aër saturatus organismi secreta gasiformia in quantitate sufficiente recipere non

---

*) Gal. de occult. Part. lib. 3. cap. 2.

valet, deinde partes heterogeneas organismo etiam impertitur.

Aegrotantis cubiculum nullis vaporibus metallicis, putridisque sit expositum, aestate septentrionem versus, hieme autem meridiem spectet, ut aestate frigidius, hieme autem calidius, in universo autem aegroti atmosphaeria 15 ° scal. R. sit. Magna vastaque cubicula, parvis humilibusque praeferenda sunt. In camera, aëre impuro completa, triplex est aër, triplicibusque stratis est distributus. Exhalatione pulmonum et gas carbonicum et azoticum evolvuntur. Illud fundum petit, et animalcula ibi viventia interimit. Gas azoticum autem aëre atmosphaerico levius tectum affertur, ubi contagiosae partes plurimum affixae esse videntur. Medium itaque stratum est optimum. Cum autem jam sani homines incluso aëri expositi debiles, libero autem fortes reddantur, omnisque febris aëre impuro, calidoque praecipue admisso, in febrem putridam transire possit, puri aëris vis elucet sanabilis. Imo sunt morbi pulmonum, nervorumque, quibus hic solum sit medicamentum.

De aëre purificando.

Quibus aegrotis pedem domo efferre est permissum, aërem liberum quaerant, quare itinera, vitaque rustica in phthisibus morbisque nervosis tontopere prosunt. Horti locique plantis scatentes, quo magis vegetatione uberrima

fruuntur, eo puriore aëre gaudent. Sin autem aegrotus domi manere est coactus, cubiculi atmosphaeria maxime respiciatur. Quaeque aërem inquinantia, e. g. sella familiaris usitata, in quam carbonum pulveres injiciamus, statim removeantur, omnia quae turbant, vel aërem pejorem reddunt, mittantur, famulorum, sociorumque numerus coërceatur, qui et loquelis et exhalationibus animum valetudinemque aegroti turbant, otiumque sollicitant. Multam majorem autem noxiam, multi una in camera cubantes aegroti exhalatione, morborumque propagatione et exacerbatione afferunt. Nec lintea illo in loco laventur, siccenturque, nec pavimentum abstergatur, saepiusque quisquiliae eruantur; summopere autem caveamus, ne batilli prunas gerentes in cubiculo ponantur. Nocet enim volitans pulvis, nec lecti itaque, aegrotis praesentibus, sternantur, nec cubiculum everratur. Nulla lampas appareat, candelarumque numerus minuatur, ne aër partibus mephiticis depravetur, luxque apto lucidius irritet. Flores, plantaeque flagrantia noctu praecipue cephalalgiam, lethargum, apo plexiamque ciere valent. Remedia, quibus aegrotorum decumbentium aër purificatur, varia sunt: 1) Priscis temporibus fumus e succino, mastiche, benzoë etc. eliciebatur. Aër autem hoc modo non corrigitur, neque vitae pabulum compensatur, odor malus solummodo propellitur, ita ut aërem impurum elapsum, correctumque esse credentes, fallantur. Quae fumiga-

tio ad vapores humidos praecipitandos, in variis contagiis solum apta utilisque esse potest, sed purificatio vera non appellanda est. Alteram secundum methodum aqua uti imber ad hibita vim purgantem quidem prae se fert, materias heterogeneas praecipitat, refrigeratque, sed aëri desideratum non restituit. III. Aqua culcariaë gas carbanico involvendo est idonea. IV. Irroratio, et exhalatio aceti consentaneae sunt. Acetum enim ferro vel lapidi candenti in aegrotantis cubiculo guttatim infusum, vapores antisepticos exhalat. Melius acetum cum aromaticis jungitur. V. Evolutio gas oxygenii, ejusque expansio mangano, nitroque. Quae fumigationes acidae a Guyton de Morveaux institutae laudabiles autem non sunt. Acidum enim aërem vitalem non compensat, nondum gas oxygenii tradit. Tussin, aliasque affectiones pectoris afferre, sique aegroti pulmonibus affecti jam sunt, eas sufferre nunquam valent, contagiumque non vastant, odore solummodo emendato, aëre non purificato, fallunt. In contagiis ad summum iis uti possemus. Quae fumigatio hoc modo instituitur: 1) In vitro, acidum sulfuricum concentratum continenti, quantitatem aequalemnitri contusi sensim impone, mixtionemque spathula vitrea, temporibus abruptis, agita. 2) Manganum pulveratum in vitrum forte ingeritur, infusaque acidi muriatici, sulfuricique quantitate aequali, illud embolo obturatur, et in vase ligneo bene obturato conditur, vaporesque,

hoc aperto efferuntur. 3) Vas sale culinari impletum, igni carbonum impositum, acidum sulfuricum superfunditur. 4) Optimum autem aëris renovandi remedium in portis fenestrisque aperiendis constat. Cum autem nobis cavendum sit, ne aurae meatus aegros liberius afficiat, optimum aëris restaurandi refugium in ventilatoribus cum operculis claudendis spiraculisque propius tecto, in adversoque angulo non multum a fundo camerae applicatis, est impositum. Si aegrotorum cubicula caminis sunt instructa, fenestrae adversae aperiri possunt. Quae aëris purificatio autem non sine exceptionibus adhibeatur, moderatur enim secundum consuetudinem, vires, aetatem, idiosyncrasiam, morbos, eorumqun stadia.

De aëris temperie.

In universo aegrotus frigidius quam calidius habeatur. Calor enimcorpora, sanguinem itaque etiam expandit, congestionesque, febribus infestissimas, ciet. 2) Cohaesionem minuit, relaxationem febribus noxiam promovet *), utin sano jam statu, batillos prunis impletos fluorem album, systematisque uterini debilitatem afferre, observamus. 3) Calor exinde decompositionem, quare putredinem in febribus etiam promovet. Omnis enim febris regimine nimis calido insti-

*) Hippocrat, Aphorismi Sect, V. 16 ed Haller 1597.

tuto, putrida reddi potest. 4) Calor nimius superincitatione debilitat. 5) Calor circulationem auget, pulsum frequentiorem reddit, quae indicatio in febribus nobis non est. Calor denique nimius contagia generat, evolvitque. Aegroti temperies 15 ° scal. R. itaque non superet. Vestimenta non nimis calefieri aportet. Lecti plumis differti, repugnandi sunt, materiem exhalandam enim retinent, provehunturque veneficium. Salubriter aegrotus in contagiis praecipue locum mutet. Aulaea ante lectos applicata noxia sunt, exhalatam enim materiem ex aegroti atmosphoeria non emittunt, contagiorumque sunt hypocausta. Nonnunquam autem regimem paululum calidius necessaruim est, juvat enim: a) in morbis exquisite rheumaticis, catarrhalibusque a refrigeratione ortis, diaphoresi placidae lenique per 24 horas favere *); b) in morbis exanthematicis; c) in febrium criseos stadio; d) in vita minima, omnibusque in casibus, ubi vires, vitamque semiextinctam resuscitandi finis nobis est impositus, in asphyxiis, in neonatis, in senectute; e) nonnullis etiam in morbis non febrilibus, maxima in debilitate. Sed et consuetudo respicienda est. Et calor et frigus autem semper gradatim sunt adhibenda. Frigus contrahit, fibrarum cohaesionem, tonumque auget, phthisi pituitosa laborantes frigori modico ideo exponantur. 2) Decompositionem, proclivitatem

---

*) Hippocrat. Aphor. Sect. V. 20.

ad putredinem minuit, contagiorum evolutionem impedit. 3) Sensilitatem, irritabilitatemque fibrarum imminuit. Frigus itaquc summum est remedium roborans, quia debilitatis fundamentum est nimia irritabilitas. Hac itaque in debilitate cum erethismo vel universali, vel locali, uti colli ad anginam habitualem inclinantis, aqua frigida auxilium affert, lotiones vel potius balnea frigida ad rheumatismum inclinantes, a debilitate cutanea orientem, juvant. 4) Corporibus organicis caloris partem adimit, eximium itaque est antiphlogisticum, sanguinis calorem imminuit, pulchrum itaque omnuim curationis morborum adjuvans est remedium. 5) Temperie celeriter mutata, applicatio momentanea systema nervosum incitat. In asphyxia infantum pectus aqua frigida ad resuscitandam vitam adspergimus. Frigus unicum est remedium roborans frigidum. Prodest itaque in nervorum debilitate cum aucta systematis sanguinei irritabitate, vel erethismo conjuncta, nullo modo autem in debilitate cum torpore, in systematis sanguinei irritabilitate imminuta, ubi excitantia calida: vinum, opium, china etc. indicata sunt. Calor frigusque et universalia et localia adhibentur. Universalia: aëre et balneis. Calor localis, ad congestiones derivandas, e. g. pediluvia 2) ad spasmum localem mitigandum, sic fomentationes calidae circa abdomen in doloribus colicis adhibentur. 3) Cataplasmeta, vel potius vapores calidi ad relaxandum indurationes, haesitationes decomponendum,

resolvendum, removendumque extravasata indicata sunt.

Frigoris virtutes supra jam memoratae, et localis eaedem sunt. Referendum est solum, frigus locale actiones morbosas, seet excretiones anomales etiam supprimere, desorganisationesque frigore obortas sublevare, stagnationes augere, humorumque circulationem impedire. Sunt autem morbi, e. g. respirationis, quibus laborantes sibi ipsi temperiei medium gradum eligant. Aër autem alio modo etiam, qualitate variare potest, in hominumque valetudinem multam vim affert. Aër humidus nimios humores corpori impertit, quibus partes solidae relaxantur, incitabilitasque minuitur. Constitutionibrs siccis, adstrictis, incitabilibusque proficuus, laxis phlegmaticisque autem iniquus. Perniciosissima autem temperies calido-humida est. Mortalitas enim generaliter eo est major, quo humidior est terra. Aër frigido-humidus nervorumactiones multum imbecilliores reddit, magisque est iniquus, quam aer humidus solus. Illius tempestatis humidae diaeta sicca generaliter instituatur, i. e. humorum copia superflua, corpori aëre immissa insons fiat, potus dapesque fluida solito minora sumendo. Corpus panno laneo fricetur, vestesque lanei induantur. Fumigatio e baccis juniperi, mastiche etc. instituatur. Aeger, si vires sufficiunt, motus corporis ineat, socios laetos alacresque quaerat. Spirituosorum parvam copiam haurire permittatur. Qui extra domum

degere

degere coacti sunt, fumum e nicotiana ducant, vel baccas juniperi, calamum sacharatum, cortices aurantiorum mastigent. In äere autem sicco diaeta sit humectans, incitabilitatemque minuens, lotiones tepidae ex aqua vel lacte adhibeantur, fundus cubiculi aqua recente inspergatur, alimenta humida, tepidaque assumantur.

De Alimentis.

Quod ori et ventriculo ingestum fluidarum solidarumque partium corporis humani jacturam reparat, nutrimentum seu alimentum vocatur. Quibus in alimentis cum, Aretaeo praecipiente, medicamenta sint, atque morborum curatio ab illis magnopere dependeat, summe respiciantur, oportet.

Vis nutriendi eorum in partibus constitutivis earumque majori vel minori copia posita est.

Partes constitutivae nominantur:

1) Mucilago, quae facile acescit, multumque non nutrit. 2) Amylum majorem nutriendi virtutem prae se fert. 3) Sacharum ut prius agit. 4) Colla, Gluten (vegetabil. Gallerte) in alcalescentiam facile feruntur, nutriuntque validius. 5) Gelatina (thier. Gallerte) atque 6) Pars albuminosa prioribus intensius nutriunt. 7) Oleum, adepsque corruptioni rancidae subnoxiae debili nutriendi vi gaudent. Oxygenium, carbonium, hydrogeniumque omni nutrimento inhaereant,

necesse est, nutriendi virtus autem azoto, phosphoro, calcariaque augetur. Quae partes in nutrimentis e tribus naturae regnis petitis vario modo distributae et combinatae sunt. Alimenta in esculenta, escas s. cibos, et potulenta generaliter dividuntur. Condimenta illis adnumerata vix per se nutriunt, nec nutriendi fine, sed ob saporis gratiam, ad roborandum ventriculum, et corrigendas quasdam alimentorum qualitates noxias, assumuntur. Esculenta propter soliditatem maxima egent concoctione. Corpora fibrosa, globosa et irregularia varia enim gaudent textura, ventriculique actioni plus minus resistunt. Mollia, friabilia, pulposa, succulentaque autem a ventriculo facilius superantur, a menstruis naturalibus haud difficulter resolvuntur, e u p e p t a q u e dicuntur. Hujus census animalium juniorum et mediae aetatis plurimorum carnes, radices variae, farinosa quaedam praeparata etc. sunt. Quae vero nimis rigida, tenacia, sicca dura et admodum compacta, vel quae laxioris quidem texturae, at crassam nimisque glutinosam pituitam continent, a ventriculo sufficienter attenuari et comminui, a menstruis resolvi et decenter dilui haud possunt, aegre concoquuntur, et vocantur d y s p e p t a; qualia vetustorum animalium carnes, legumina, olera plurima, farinosa nonnulla, siccae et salitae infumataeque carnes atque pisces sunt.

Haec ventriculum, pro diversitate ejus roboris molestant, suo pondere premunt, flatus generant, in cruditates varii generis abeunt,

quae multos morbos non in primis viis solum sed in sanguine etiam producunt.

Sed varia quoque esculentis inest nutrimenti copia et bonitas. Polychyla dicuntur, quae largam substantiae nutrientis quantitatem continent, eaque si simul eupepta sunt, cibum celeriter et optime nutrientem sistunt, omni in respectu salubrem. Polychyla autem dyspepta, praesertim glutine nimis viscido praedita, robusto ventriculo soli superanda, cibum valentissimae materiae praebent. Oligochyla tota sua massa parcam nutrientis substantiae quantitatem et multum inutile recrementitium continent, vel quorum substantia nutriens aut crassa tenax nimisque glutinosa, aut nimis aquosa, nutriendi facultate destituta est. Substantiae nutrientes itaque nec nimis viscidae, nec natura nimis tenues, sed menstruis resolubiles sint. Oligochylis vegetabilia plurima, legumina, herbae, fructus, porro pisces etc. annumerantur.

Potulenta et condimenta nutriendi fine stricte non sumuntur. Ad nutrientes eorum substantias, quibus tamen nonnulla etiam copiose impraegnata sunt, non adeo nobis respiciendum erit, quam ad principia activa varia, volatilia, halituosa, solubilia fixa. Potulenta, quae vel aquea (aquea simplicia aut mucilagineo-aquea) vel spirituosa sunt, etsi majori copia usitata, esculentis condimentisque *) nimis assumptis, minus nocent.

*) Aul. Corn. Cels. de medicina l. 1. c. 1.

Magna est animalium differentia pro generis, aetalis, pabuli et habitus ratione. Quo majus quodque animal eo robustior ex eo cibus.

Quadrupedum caro firmior graviorque volucrum carne est, cum haec, licet ut plurimum delicatior, tenerior et concoctu facilis sit, haud validum, sed leve imbecillibus nutrimentum conveniens praebet. Domesticorum caro ordinarie humida. succulenta et pinguis est. Castratorum mollis, pinguis, suavissimi gustus. Plantivororum mitis, subdulcis, nobisque accommodata, carnivororem subacris, alcalescens, facileque putrescens, piscivororum limosa, rancida, cruda est.

Animalium seniorum carnes duriores, sicciores, concoctuque difficiliores, quam juniorum esse, inter omnes auctores constat. Pulli, convalescentibus quidem salubres, ob nimiam humiditatem dulcedinemque autem nauseam mox pariunt. Pisces generatim nimis aquosam gelatinam, pituitamqué abundantem porrigunt. Sale conditi siccant, plerique alvum dejiciunt *). Pisces exanthematibus cutaneis favere etiam suspecti sunt **). Carnes eorum ocyssime putrescunt. hinc minus commendandae sunt aegrotis.

Vegetabilia diversis utique praedominantibus gaudent principiis, quae specificam indolem variis cum esculentis communicant, insignesque virtutes medicas in corpus humanum exserunt, ita

---

*) Hippocrat. de vict, ratione lib. II. c. V.

**) Nonnus de re cibaria lib. II. p. 158.

ut medicamenta ejusmodi esculenta vocari possent, quibus mira ingeniosus medicus in aegris et valetudinariis saepe praestat.

Quum ad vires aegroti semper nobis redeundum erit, alimenta eo subtiliora facilioraque sint digessu, quo aeger imbecillior est. Quae alimentorum virtutes primum rationem mechanicam respiciunt. Nutrimenta facile sejungantur, aegrotus debilissimus mollissima, solutissimaque in forma fluida assumat. Deinde rationem chemicam atque nutrientem vim intuentur. Debilissimus assimilatu simillima facillimaque recipiat. Animalia genio nostro hac de re vegetabilibus propius accedunt, faciliusque digeruntur. Cum autem valde nutriant, concoquendaeque vis indigeant, nec in febribus, neque aliis in morbis, ubicunque digestio laesa sit, ob alcalinam indolem ad putrescentiam propensam, unquam adhibeantur. Sed non animalia solum, omnia nutrimenta ventriculus impurus,*) sordibus gastricis antea non remotis, sicuti criseos stadio appropinquante,**) repugnat. Alia itaque alimenta ratione chemica et nutrienti tantopere non differentia, si nutriendi indicatio medico affertur, mucilaginosa: sago, salep, gelatina, cornu cervi, ova recentia, hordeum praeparatum, aliaque farinosa subtilia eligantur. Insigni nutriendi

*) Hipp. Aphor. I. 19.
- - II. 9.

**) - - I. 8.

materia carnes juniores, earumque juscula, animalia testactea, conchae, ostreae edules abundant, et pulpa molli admodum nutriunt, inventriculo facile resolvuntur, intestina lubricant, laudabili et gelatinoso succo acrimoniam obtundunt. Alimenta denique non qualitatis actualis solius, sed virtualis, temperiei eorum etiam ratione calida, frigida, et antiphlogistica respiciantur. Hieme actu calida, aestate actu frigida assumantur.*) Alimenta calida secundum calorii eorum inhaerentem vim, in corpusque humanum incitationem plus minus exardescunt, quod carnes magis quam vegetabilia, horumque partes alcalinae volatiles, aethereae, inflammabiles et empyreumaticae efficiunt. Vires alimentorum incitantes autem ventriculum, tubumque intestinalem solos, vel totum corporis humani organismum afficiunt, quae non a materia nutritia sola, quam continent, sed ab additamentis, a praeparatione cum sale, conditamentis etc. etiam dependent. Alimenta frigida nutriunt, neque calorem producunt. Ad congestiones sanguineas propensis, phthisicis, haemorrhoidariis, viribus exhaustis, atonia laborantibus nutrientia vegetabilia, nullo modo animalia praecipue perfectiora congestiones sanguinis promoventia, apta sunt, cum vero aegroti torpidi, frigidae, laxcaeque naturae animalibus quibus intantur, magis reficiuntur. In debilitate ventri-

---

*) Arnold Bachuone de regimine sanitatis Argentor. 1503. pag. 95.

culi autem nutrientia cum materiis illius vires fulcientibus ad concoquendum excitantibus, condimentis, elixiribus visceralibus, saluberrime conjunguntur. Cibi autem, qui et ratione sua chemica, et exili incitantivi, äerem, gas carbonicum et hydrothionicum, sicuti fabae, pisa et aliae leguminosae substantiae evoluunt, valde repugnentur. Omnia omnino alimenta concoctu difficilia, animalium vetustorum vel saginatorum carnes, splanchna, oleosa semina, pultes farinosae viscidae, crassae, rudesque, radicum olerumque rudium mucilaginosae partes, placentae opera pistoria etc. omnibus in morbis plane rejiciantur. Hac autem in alimentorum porrigendorum ratione, eorumque qualitate generaliter praemissa, tempus et quantitas memoratu adhuc dignentur. Nulla alimentorum in morbo fiente,*) in paroxysmo morbique violentia, digestione laesa est salus. Non enim quae ingeruntur, sed quae digeruntur, reficiunt. Cujus regulae exceptiones autem, debilitas vera, ab exinanitione sanguinis, seminis, a suppuratione e. g. orta, porrigunt. Morbi remittentes vero matutinum vel meridiei tempus, alimentis opportunum reddunt, dum coenae, largae praecipue, somnum turbant, molestaque somnia cient. Omnibus in fruendis alimentis maximi vero est ponderis, ut partes abruptae, parvae, lenteque assumantur et man-

---

*) Ch. W. Hufeland Macrobiotic. Jena 1798 Th. II. pag. 383.

ducentur, nec nimis celeriter sed gradatim aegrotus a levioribus fluidis ad firma transeat. Quod ad alimentorum quantitatem refert haec 1) a consuetudine dependet. Δοτέον δε τι εστι τῄ ὤρῃ, και τῆ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, εστι τῷ ἐθει.*) Aphorismus quindecimus ejusdem libri, consuetudinem non temere mutandam esse, nos docet. Sequens aphorismus tantam in scientiam nostram vim affert, ut non facere possim, quin ejus totius commemorem. „Plurimum et repente evacuare, aut replere aut calefacere, vel refrigerare, vel quovis alio modo corpus temere movere, periculosum. Omne enim nimium, naturae bellum indicit. Quod autem fit sensim ac vicissim, periculi expers est, idque cum alias, tum si quis ab uno ad aliud se convertat." Opifices robusti victui asperiori assueti, et in morbis quidem, praeprimis diuturnis, plane itaque illo non careant, sed moderandus atque minuendus hic solum sit**), atque parca assuetorum copia convalescentibus concedatur. 2) Alimentorum quantitas a morbo dependet. Si anorexia, morborum αυξησις et efflorescentia, viribus sufficientibus, prostant, nulla alimenta aegrotis sunt praebenda, quia non reficiunt, imo morbum augent ***). Quin etiam, quae accessiones periodis quibusdem ingravescunt, in horum paroxysmo a cibo abstinere oportet ****). Rara in morbis ciborum

*) Hypp. Aphor. lib. I. XVII.

**) Arnold Bachuone de regimine sanitatis Argent, 1503.

****) Hipp. Aphor. lib. I, 8, 10.

***) Aphor XI.

etiam appetentia est, aegrotisque sit solamen, quod nemo, illa deficiente, nullisque cibis porrectis, fame periverit.

Interdum autem magna adest bulimia, quam medicus bene intueatur, an cujus causa in morborum sequelis e. g. vermibus sita sit, quae multorum ciborum concoctu facilium indigent, an in succi gastrici acrimonia, mucilaginosis, didiluentibusque curanda vel in convalescentia, modico facile digestibilium usu promovenda, sit posita. Alimentorum qualitates autem subjiciendae sunt:

Primum ventriculi consuetudini. Nonnullis in morbis e. g. hypochondriacis, hystericisque ventriculus solida magis quam fluida suffert, quia haec relaxant, flatibusque propensis, hos cient. Vide supra de consuetudine jan dictum. Deinde idiosyncrasia respiciatur. Quae si in morbi decursu demum orta, ei indulgendum est. Aegroti etiam libidinem denique intueamur. Illius praeternaturalis consuetudinis malae, imaginationisque perversae sequelae mentio non est, sed illius instinctus, quo aegrotus in febris acutae summo periculo, plena in conscientia, nullisque ad persuadendum sermonibus adhibitis cibum extraordinarium petit, qui materias medicatrices per se nobis non ostendit, morbique statum oppugnat, quo sumto autem, crisis salusque a natura perficiuntur.

Cui aegroti libidini parca ciborum copia, mutationibus exinde natis exactissime observatis,

cedamus. Sequelis faventibus, quantopere aegrotus velit, sensim sensimque attente porrigamus. Heckerus *) appetitum insolitum gravemque in febribus quartanis malignis expletum, salutem afferre contendit.

Quod ad alimentorum postremo indolem attinet, gelatinosa aliaque illa supra generaliter nominata, quae magna sine mutatione in humores nostros convertuntur, sicuti animalium carnes adhiberi possunt. Quae cum autem valide nutriant, et aliquam concoctionis vim poscant **), alcalinaque sua natura facile putrescant, eo minus subiguntur a stomacho, quo debilior est ejus vis, aut quo magis in alios fines est intenta. Itaque, qui febribus leborant, a carnibus jusculis valentioribus, ipsisque ovis, piscibusque abstineant. Piscium carnes ocyssime enim putrescunt. Hinc minus commendandae sunt aegris. In diuturnis morbis, indicatione non prohibente, salubriores quidem sunt: esox lucius (Hecht). cyprinus barbus, c. carassus; perca fluviatilis et lucioperca (Zander); salmo fario (Forelle), s. trutta (Lachsforelle) alpinus; gadus etiam lota (Schellfisch). Ob adipis copiam vetandi cyprinus carpio, brama, salmo salar (Lachs), muraena anguilla (Aal) et petromyzon fluviatilis (Kl. Neunauge), ob valentissimam carnem marini et acipenseres: Cum autem vires ventriculi plurimis

*) Kunst, den Ausgang der Krankheiten vorher zu sagen. Erfurt 1820. pag 28

**) Hippocrates περὶ διαιτῆς lib. II. p. 42. ex ed Halleri.

in morbis, febribus praecipue, infractae sint, vegetabilia facile solubilia, accommodatiora sunt, quae tenuis mucosae, saponaceae acidulaeque suae indolis causa, et placide nutriunt et vim antisepticam solubilemque prae se ferunt. E vegetabilium partibus, ut leviter nutriatur corpus, praeferenda sunt: cerealium semina exanno praeterito servata *), avenae hordeique excorticata, fagopyri etiam et festucae fluitantis, e quibus ptisasanae parantur, dein panis vel triticeus vel secalinus. Solani tamen tubera amylo ditissima, vel penitus prohibenda sunt aegris, vel in diuturnam infirmitatem servanda.

Levia grataque praebent alimenta radices dauci carotae, scorzonerae, tragopogonis (Haberwurzel) et sisari (Zuckerwurzel), cum intima sacharinae substantiae et mucilaginis mixtio digestionem juvet, alvumque molliat. Huc turiones asparagi, lupuli, crambes maritimae, surculi podagrariae (Geissfuss) aliarumque herbarum, brassica quoque gongylodes (Kohlrabi) praesertim botrytis (Blumenkohl) etiam referenda sunt. In fructibus horaeis, prunis et cerasis siccatis coctisque, dein ficubus et uvis, pomis borstorfianis et cavillaneis, fragis etiam et moris princeps locus tribuendus est, quia humida alimenta, organismum celeriter permeantia, diluentiaque praebent*). Alii fructus ut malum armeniacum, pyra flatus gignunt, vel calorem nimis ligant,

*) Oribasii collect. med. lib. II. c. 67.
**) Galenus de alimentorum facultat. l. II. c. 7.

ut persicae, vel magis adstringunt ut baccae myrtilli et vitis idaeae.

Alimentorum qualitas praeparatione autem magnopere modificatur. Sunt vegitabilium species, fructus horaei, lactuca, nasturtium etc., quae cruda, variisque morbis apta quidem comeduntur, cum autem aëre impraegnatae, fibrosaeque remanentes partes molestae sint, digerendi tamen vim postulent, raro aegrotis, nisi cocta, favent. Dapes humidae torrendo, assandoque siccentur, siccitas maceratione, humectatione, sales maceratione atque coctione adimuntur. Amarae acresque cum dulcibus, acerbae mucilaginosis commisceantur*) Coctura itaque in attenuandis et resolvendis duris rigidis et valde compactis alimentis, in expellendo aëre, cibis copiose incluso, in extrahenda substantia nutriente praestat. Optime in vasis clausis succedit operatio, dum aqua frigida esculentis superfusa summum caloris gradum successive nanciscitur. Sic carnium gelatinae jusculaque parantur. Legumina, pisces etc. mollescunt. Carnis tostae crusta gelatinosas, liquidas, nutrientesque quidem partes retinet, quibus retentis, caro solubilior fit, cum autem butyrum s. sevum admittantur, assae aegrotis incommodae sint, necesse est. Cibi simplices, inconditi aegris maxime prosunt, nisi ad ventriculum incitandum, promovendam-

---

*) Hippocrates περὶ διαίτης lib. II. p. 50.

que digestionem condimenti quid adjicere, est in animo.

De Potibus.

Potiones multi apud veteres erant momenti. Bibendum aut moriendum in morbis dixerunt. Nimiaque potulentorum copia, quam esculentorum, tantopere non nocet *). Potus frequentissimi necessaria omnium morborum curationis etiam conditio est, quia omnibus in affectionibus rationes chemicae ineuntur, quae autem sicuti medicae etiam, sine liquidis perfici nequeunt. Omnes morbi crisibus, secretionibusque solvuntur, quae sine liquidis non afferuntur. Potionibus curatio magis, quam omnibus medicamentis saepe promovetur.

Fluida denique optima medicamentorum sunt vehicula. Multa medicamenta sine liquidis diffundi non possunt, uti venereïs in morbis, aliisque dyscrasiis. Et nutrimenta corpori distribuenda etiam liquidorum summopere indigent. Morbus febrilior crebriores potus postulat. ὑγρὰι πᾶσι δίαιται τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι dicit Hippocrates **). Quo magis materia morbosa corpori inhaeret, eo magis est bibendum, in morbis gastricis itaque, obstructionibus, dyscrasiis, acrimoniis, omnibus materie heterogenea impraegnatis affectionibus, in

---

*) Corn. Celsus de medicina lib. I. c. 1.

**) Aphor. lib. I. 16. ed Heurnii.

fibrarum rigiditate, constitutionis siccae atrabilariaeque aegritudinibus. Potiones copiosae enim humectant, calefaciunt, resolvunt, expectorant, laxantque *). Ne nimium autem uno temporis momento assumatur, quod enim inflat, urinae secretionem accelerat, idoneamque sanguinis mixtionem turbat **) Quod ad potionum temperiem attinet, aqua fontana pura recensque hausta, vel a rupibus defluens optimus quidem est potus ***), quia gas carbonicum, saluberrimum ventriculi incitamentum continet, digestionem promovet, antibiliosam et antiphlogisticam vim profert, ardorem immodicum mitigat, alvi obstructiones infarctusque resolvit. Cum aqua frigida autem extravasationi tollendae, summae rigiditati, insigni obstructioni in febribus, inflammationibus, exanthematibusque transpirationi cutaneae, omnibusque crisibus promovendis iniqua sit, sitin in febribus augeat, colicosque dolores cieat †), potiones tepidas, sique aegroti in febris ardore frigidas etiam postulent, frigidas non porrigamus. Sorbendi tempus a siti dependet, h. e. omni tempore, omnibusque in morbis, quando aeger vult, concedamus. Potulenta vel aquea, quae siti optime satisfaciunt, vel partibus nutritiis impraegnata, vel cum aliquo spirituoso a natura intime

---

*) Aretaei lib, VII. p. 197. Argentor 1768. 8.

**) Hippocrat' de affectionibus lib. I. p. 591.

***) Hippocrates de aëre, aquis et locis p. 19. ed. Pierer.

†) Hipp. de vict. ratione in morb. acutis lib. III. p. 255.

commixta sunt, quae humorum circuitum augent, viresqne resuscitant. Aquea mucilaginea cerealia amplectuntur. Purae cerevisiae triticeae sapor dulcis, vel acidodulcis, amariusculus autem cerevisiae multum lupulatae est. Dulces majori gaudent nutriendi facultate, alvum laxant, flatus generant, vasa secretoria segnius transeunt. Acido-dulces refrigerant, urinam fortiter pellunt. Amarae ventriculum roborant, urinam mediocriter urgent, sanguinem calefaciunt *). Cerevisiae nimia faeculentia, lupuli additi copia, mucilaginis non bene attenuatae subactaeque cruditas, et spiritus fermentantis vis stupefaciens atque inebrians multos quotidie procreant morbos, in aegrotantium ideo usum minus commode vocantur.

Aqueo-mucilaginearum species II. aromatico-balsamica: hoc principio atque oleoso spirituoso instructa sunt, quo mustum, theae, coffeae potus, chocolata etc. pertinent. Theae infusum iis non conducit, qui ventriculi corporisque debilitate, solidorum flacciditate laborant, hypochondriacis, hystericisque. Nihil itaque est, quod aegrotis illud commendet. Coffeae potus sanguinis bilisque exaestuationem, humorum spissitudinem producit, eosque acres et ad inflammatorias stases aptos reddit. Hinc anxietates et palpitationes cordis producit, haemorrhagias concitat, ad febres biliosas, ardentes disponit corpus, nervos afficit, tremorem extremitatibus adducit, neque aegrotis

---

*) I. C. Zückert materia alimentaria Berol. 1769. pag. 305.

sicuti chocolata apte porrigitur, quae sanguinem magis calefacit, solidaque stimulat, hinc senibus, emaciatis iisque solumodo, qui magnum naturae languorem, caloris naturalis exstinctionem sentiunt, qualis diuturna inedia, exinanitione, longoque ac vehementi morbo praegresso debilitati sunt, conducit.

Species III. Acidulo-dulcia inter alia continet; Limonaden ex aqua, vino, limoniorum vel citri succo et sacharo paratam. Sanguinem refrigerat, corpus reficit, putredini humorum obstat. Hydromel (Meth) stimulat, ventrem inflat, humores crudos generat, facile inebriat, quanquam, Hippocrate auctore, urinae alvique excretionem promovet *).

Classis II spirituosa et vina quidem primum continet. Omnium aegrotis saluberrimum vinum Rhenanum est. Est acidum aethereum, volatile restaurans. Spirituosum, quod alia vina prae se ferunt, tantummodo ardescit. Quae vis vini rhenani acido autem mitigatur, nimiae incitabilitati praecavetur, secretionesque promoventur. Sit autem genuinum, vicesinarium. Sin autem deliria excitat, dispositione inflammatoria nondum remota, vel si secretiones et excretiones justo magis auget, imo colliquativas reddit, ab eo abstinendum est. Omni hora cochlear scandendo sorbeatur. Illo deficiente spiritus vini cum acido

*) De vict. ratione in morb. acut. l. III. c. 2.

acido apte conjungi potest. Spiritus sachari (Rum) cochlearia II — III infundantur in aquae libris tribus, commisceanturque cum citri medicae unius succo expresso vel cum acido tartarico et sacharo. Exinania laborantibus 2—3 ovorum vitelli cum illa mixtione conjungantur.

Et in potulentis utendis consuetudo vim maximam infert. Spirituosorum, cerevisiarumque fortium, largarumque cerealium potatores, in fruenda aquosa mucilagineaque diaeta pessime semper se habent, dum genio vini vel spirituosi paululum solummodo indulgentes valetudine meliore indies magis gaudent. Esculenta atque potulenta, quae in morbis adhibentur, infra tractare mihi liceat.

De motu.

Agitationes corporis et in valetudine bona et adversa salutares, illam firmiorem, hanc meliorem reddunt, roborant, digestionem, sanguinisque circuitum promovent, impedimentaque, quae se et excretionibus obstant, auferunt *).

Omnis agitatio corporis, motusque in activa (muscularia), atque passiva (mechanica) distinguuntur. In activis nervus musculusque agunt, hic illo contrahitur, partes musculi constitutivae appropinquantur, fibrarum tonus vel cohaesio augentur. Quae cum cohaesio autem omni osten-

*) Hippocrat. περι διαιτης lib. 1. p. 4.

tandae vi necessaria sit, actionibus muscularibu musculi roborantur, vim vitalem excipiunt, ae quilibrium inter systema sensibile et irritabil obtinetur, innormalis partium situs mutatu Quae si actiones deficiunt, debilitas nervosa or tur, debilitatque vita sedentaria. Motus muscu lares itaque omnibus in obstructionis, materiae lentae morbis, humorum dyscrasia, systemat nervosi aegritudinibus, in promovendis, restituen disque se et excretionibus, ubicunque digestio e reproductio sicuti in morbis chronicis labant, sa lutares sunt. Qui autem in febre atque inflam matione perniciosi, ubi circulatio et congestione jam auctae sunt, summa in debilitate, ut plena virium consumtio oriatur, in morbis chirurgicis ut reunio impediatur, vetantur. Actionum me chanicarum vis lassitudinem non promovet; quare viribus exhaustis adhibeantur. Saluberrima cor poris exercitatio aegrotis lecto non affixis est Musculi his in corporis motionibus vel requirun tur, (vectatio vehiculo et equo), vel (in frictio nibus e. g.) necessarii non sunt. Vectatio alv pectorisque stagnationes resolvit, roboratque haec organa. In incipienti phthisi atque hypochon dria eximium est remedium. In haemorrhoi dum, genitaliumque solummodo morbis non in dicatur. Frictio autem omnibus in morbis adhi beri potest, in balneis secundum Orientalium morem adhibita, circulationem, omnesque secre tiones promovet, vires non exhaurit, imo nervi vivaeque partes sollicitantur. Hinc veteres maxi

mi fecerunt frictiones. Sic Hippocrates *) jam carnes, iis firmari ideoque augeri, ait. Et Asclepiades, maximus hujus methodi laudator, utendum esse frictione praecepit, cum adstringendum sit corpus hebes, aut molliendum, quod induruit, aut digerendum in eo, quod copia nocet, aut alendum id, quod tenue et infirmum sit. Optime addit Celsus, frictionem nunquam imperandam esse febre increscente, sed cum ex toto corpus ea vacabit **), membra autem resoluta egregia hac methodo firmari. Cum certi corporis morbi certis sitibus oriri possint, situs mutatio utilissima habetur. Propensa ad congestiones pars alte jaceat, quia inflammatae hoc in situ tantopere non dolent. Aegrotis debilissimis autem situs horizontalis capite paululum elato est iucundus. Sanguis, pedibus pendulis, cordi gravius enim ascendit, quae difficultas sola lipothymiam producere valet. Nervi in situ horizontali magis etiam gunt, hocque in statu venaesectione instituta, lipothymiae praecavetur.

Actiones internae, sermocinatio atque declamatio in debilitate pulmonali, morbisque abdominalibus saluberrimae, sin autem congestiones ad pulmones obstant, hisque maxime irritatis, periculosissimae sunt.

---

*) De Diaeta lib. II. pag. 564.

**) Corn. Celsus de medicina lib. II. 14.

De somno et vigiliis.

Somno utendum est, ut vires recreentur. Qu
si quietus absque narcoticis cieri potest, mirandum
quantum vires colligat, roboretque. Somnus ma
teriam nutritiam in organismo deponit, propag
tionem ejus, mutationemque in solidas partes, cry
stallisationem, cui requies necessaria est, prom
vet. Est itaque nutriens. Omnes secretiones o
dinat. Crisis universalis est habendus. Somnu
nimius autem debilitat; cordis vires decrescun
circulatio lenta segnisque redditur, sanguis parvi
in vasis haesitat, quare desidiae sensus eum se
quitur. Somnus nimius nimiam materiae nutri
tiae copiam, plethoram atque obesitatem adduci
Omnes cum actiones musculares quiescant, cohae
sio minuitur.

Pervigilium autem *) vires exhaurit, mate
riam organicam consumit, attenuat, se-et excre
tiones turbat, dyscrasiisque praebet ansas. Ence
phalum irritatur, congestionesque sanguinis appe
tit. Functionum ejus, systematisque vervosi ano
maliae oriuntur. Somnus tranquillus, morboqu
praegresso congruus, omnibus in morbis genera
liter est optabilis. Praeprimis autem in febribu
ad crisin perficiendam. Nulla sine somno crisi
fieri potest, optima in somno affertur. Necessa
rius est in morbis ab exinanitione ortis, omnibu

---

*) Hippocrat, Aph, lib II. 3, ed. Heurnii.

in systematis nervosi affectionibus, in dyscrasiis, acrimoniis, secretionibusque impeditis. Nimius autem plethoricis, obesisque, in dispositione apoplectica, congestionibusque ad caput urgentibus, pleno praecipue ventriculo noxius, cum sola ventriculi plenitudo atque oppressio congestiones iam proferant. Morbi catarrhales, anginaeque nimio somno exacerbantur, quare hic turbandus est. Summa in debilitate etiam, quae lipothymiam producere valet, contraindicatur. Qui systematis nervosi affectione ideo laborant, matutinoque tempore lassitudine affecti sunt, duas in periodos somnum dividant. Irritamentis et lucis et auditus, animique remotis, somnus promovetur. Timor atque anxietas ablegentur, spes fiduciaque confirmentur. Aegrotus eo in situ, aequalibusque integumentis servetur, ita ut somno inclinatus statim dormire possit. Cubiculum vastum, purum, temperiei moderatae, obfuscatum, lectus secundum aegroti consuetudinem, in locoque consueto stratussit. Omnes sanguinis congestiones agitationesque remediis antiphlogisticis e. g. tart. tartaris. cum Kali nitrici aliquantulo conjuncto, removeantur, vel si obstructio alvina congestiones ad caput urgeat, clysma vespertine adhibeatur. Brevi ante somnum lectione vel auditione, nullo modo perturbante, fatigatus, qui denique sonos uniformes auscultat, facillime in somnum ire solet *). In systemate nervoso affecto, si dolores vel magna sen-

---

*) Aretaeus de curatione morb. acut. lib. I. c. 1.

sibilitas adsunt, hypnoticis, narcoticisque, hyoscyamo e. g. utamur.

De rerum non naturalium inanitione et repletione in morbis infra tractandis scribendi occasio aptissima mihi prostabit.

De munditie.

Si fieri potest, neque refrigeratio timetur, totum corpus aqua tepida abluatur. Balnea tepida 75–90° Fahr. convalescentibus certisque in morbis solis adhibeantur. Infirmi, debilitatique et si contraindicatio in morbo non opponitur, cum spongia in aquam tepidam immersa, semel quotidie fricentur, siccentur atque in lecto collocentur. Balnea indicata lacte tepido, decocto florum chamomillae, sambuci, sapone albo, furfure, maltho, in febribus putridis aceto vini admixto, efficaciora reddi possunt. Caput cum multos vapores emittat, crines secundo vel tertio certe quoque die pectine componantur, vel scopulis, aegrotis debilissimis, perstringantur, necesse est. Manus pedisque digitorum ungues scindantur.

Toralia, indusia, vestimentaque nocturna omnibus in morbis, praeprimis in febribus putridis, exanthematicis, in sudore nimio, haemorrhagüsque maxime respiciantur, atque cavendo, ne refrigerentur aegroti, curationisque methodo non repugnante, saepissime mutentur.

Animi pathemata.

Potentissimum animi imperium in functionibus corporis regendis cogit nos atque compellit, ne unquam mentis dotes, ingenium et proclivitates in morbis curandis negligamus. Si animi affectus modum non servantes valetudinem bonam jam corrumpunt, quo perniciosiores in morbis sint, elucet. Laetitia per multos dies perseverans somnum impedit, viresque resolvit *), circulationem sanguinis nimis auget. Improvisum gaudium multum quoque nocet, ob subita motuum augmenta, et validiorem nervorum actionem praecedente quiete pejus redditam, quippe jam cum periculo prepelluntur liquida, vasa dilatantur, imo rumpuntur. Terror gravis omnes excretiones, crisesque subito persaepe tollit. Hujusque sequelae moestitiae majores labefactationem nervorum, stases, adynamiamque universalem augent. Ira quae febris per se vocari potest, circulationem sanguinis vehementissimam reddit, haemorrhagias ciet, excretionesque criticas vel nimis promovet, vel retardat.

Animi affectus mites placidi, dulces atque moderati, tranquillitas animi, hilaritas, modicum gaudium, laeta firmataque spes, fiducia denique in medicum atque medicamenta vitam conservant, valetudinem bonam promovent, adversam

---

*) S. Sanctorii de medicina statica aphorismi Sectio VII.

curant. Absque re alienum non erit, si medicamentorum psychicorum in curandis hominum morbis aliquam mentionem facimus.

1) Moderatio, organorum sensuum tranquillitas, praeprimis visus auditusque maxime necessariae sunt. Aegroti cubiculo invalidum lumen adferatur *), nequepictae forte in parietibus imagines, plantae fragrantes menten perturbent **).

2) Omnia, quae sensationes ingratas producunt, ablegentur. Lectus bis quotidie sternatur, vestimenta cubitoria, stragula vel culcitae non exaestuent, aut duritie offendant. Mundities aegrotum tranquillum reddit, somnumque benignum ciet.

3) Mens et phantasia tranquillae habeantur. Quae ne aegrotum turbent, hic nunquam solus, sed colloquia innoxia cum eo ineantur.

4) Aegrotus non animi tranquillus solummodo esse jubeatur, sed omnes causae perturbantes etiam removeantur. Benigne comiterque abüs, qui cum eo versantur, afficiatur.

5) Nihil est, quod aegrotum tranquilliorem, quam in medicum atque remedia fiducia, firma certaque salutis spes, reddat. Medicus vero ipse et habitu cultuque, et sermone et ingressu, gratus sit, oportet ***). Necessaria est vultus habitusque ea compositio, quae percellere aegrum timore

---

*) Hippocr vict. acut. 400 κατακλίνειν ἐς ζοφερὰ οἰκήματα,

**) Aret. cur. acut. I. 1.

***) Hippocr. epidem. lib. VI. s. 4. p. 1180. de decent. ornat,

nequeat, quam ἀταραχτοποίησιν Hippocrates nominare consuevit. Necessariae sunt χάριτες, ut aeger fiducia allectus omnia revelet, quae alioquin facile reticuerit, humanissima sedulitate, nulloque praetermisso studii aut officii genere, quo benevolentiam suam et desiderium opem ferendi probare possit. Magnopere interest, cautissimum esse in praedictione formanda, qua ne terreatur aeger, cavendum. Hippocrates gratificandum esse jubet aegroto in iis, quae magnam haud afferant noxam, quaeque facile corrigendasunt (εὐκατάληπτα) *). Quippe dolores spe, securitate, constantiaque enim leniuntar, nervorum tumultus mitigantur, crisis promovetur, viresque resuscitantur, fiduciaque servantur, medicus bonis as honestis sit moribus, unaqne gravitatem cum humanitate conjunctam habeat **). Quod John Gregory etiam confirmat ***).

---

*) Curtii Sprengel institutiones medicae Lipsiae 1818. Tomus VI. pag. 14.

**) Hippocrates de medico lib. I. c. I.

***) Pulcherrime enim ait: „Besitzt der Arzt angenehme Sitten, ein mitleidiges Herz, und dasjenige, was Shakespeare so nachdrücklich: „„die Milch der menschlichen Güte““ nennt; so fühlt der Kranke dessen Annäherung als die Erscheinung eines ihm zur Hülfe gesandten Schutzengels; da ihm hingegen bei jedem Besuche eines unfühlbaren Arztes von rohen Sitten der Muth entfällt, als ob er erschiene, ihm sein Todesurtheil anzukündigen.“ D. John Gregory Vorlesungen über die Pflichten und Eigenschaften eines Arztes. Aus dem Engl. übersetzt, Leipzig 1778.

Quae animi hilaritas in febribus inflammatoriis solummodo, ne exacerbentur, coërcenda est. Sin morbi timor autem firmus, inanisque non est, Euthanasia promoveatur, ipsius mortis inevitabilis accessus ita moderetur, ut, quantum fieri potest, vitae terminus minus molestus sit. Medicus, humanitatis minister, humano animo artem etiam exerceat. Cum facies mortis pro morbi natura, varia aetate, cultus educationisque, religionis et institutionum publicarum ratione varia sit, mortis lenimina mox in medici potestate, mox vero nulla ipsi patere, liquet. Si morbi exitus lethalis itaque exploratus est, medicum eum ita annunciare, ut humanum virum decet, oportet, ne incertitudinis perturbationibus diutius aeger crucietur, quia aegrotorum plurimorum anxietas ex incertitudine magis, quam e mortis ipsius certae terroribus, pendet. Magni enim refert, aegrum res suas tempestive curare, liberorum *) sorti providere et testamentum nuncupare. Et resignatio in talis exitus certitudine multam vim in aegroti tranquillitatem affert. Sin autem anxior in obitu inevitabili a medico confirmato reddatur, religione consoletur, atque erigatur.

Patientiam, virtutem aegrotorum saluberrimam esse, videmus, sed rarissime obtinetur, cum animus eorum fere semper tristis, querulus atque conturbatus sit. Medicus prudens, sapiens, vitaeque peritus perturbationes animi moderari pote-

---

*) C. Sprengel instit. medic. Tomus VI. §. 391.

rit. Quae si e morbo oriuntur, aegrotus quam clementissime feratur, eique indulgeatur. Sin autem mera pertinacia, vitiosaque libidine correptus est, pervicacia placide, honeste atque cum dignitate frangatur, in ordinem cogatur. In morbi diuturnitate animus reficiatur, relaxetur, absque cogitationibus affectibusque suis revocetur, occupationes jucundae, amoenaeque cum eo ineantur.

Adventus hominum dilectorum aestumatorumque vires mirifice refocillant. Cordata societate calamitates mitigantur. Secundum virium rationem narrationes, medendi indicationibus aptae, habeantur. Lusus gratos animi affectus solos cieant. Musicae artis ope etiam affectuum salubrium excitatio contingit, antiquissimo more, incantationibus, mollibusque carminibus morbos fugare. Avicenna contra omnem morbi dolorem dulcem suadet cantilenam. Et Asclepiades in furore aliisque mentis morbis adhibendum esse praecepit cantum duplicem: phrygium, qui jucundissime excitaret animum prae moestitia furore correptum, alterum doricum, gravem eum et compositum, qui puerilibus cachinnis exsultantes juvet.*)

Theatro, lectione, atque itinere, viribus sufficientibus, prudenter, sapienterque aegrotus utatur, quippe animum recreant, eumque a rebus privatis, domesticis abducunt. Si artifex, omnibus aliis remediis frustra adhibitis, certas animi mutatio-

*) Cael. Aurel chron. lib. I. c. 5.

nes, quae indicationibus aptae sunt, producere velit, imaginationem, animi affectus, voluntatis potentiam, sed honestissimo modo medicoque dignissimo, in usum provocare sibi licebit. Ex animi affectibus timor, terror post causas non maxime differentes, repente suscitati, gaudium, objectorum voluptatumque, quae permissa sunt, desiderium expletum, vires dirigant. Voluntas libera autem summam omnibus organismi humani morbis infert vim, si primum aegrotus attentionem a calamitatibus doloribusque sponte divertit, atque in cogitationes secundas objectaque grata invertit*). Deinde aegrotus sensum morbosum depugnans, viribus collectis, musculis contentis, voluntate libera gaudeat. Antagonismi vires denique, voluntaria vivida, insolitaque aliorum organorum, quae morbo affecta non sunt, contentione, agant. Paralysis tandem partis cujusdam a causa nervosa orta, summa voluntatis intentione tollatur. Sed medicus aegrotum voluntatis vires, easque adhibendi rationes doceat. Nunc ad morborum clas-

---

*) Quod voluntas atque consuetudo e voluntate orta perficere possint, ipse expertus sum. Puer 12 annorum, Ch. Guil. Hufeland, illius Viri omni laude mea majoris librum de Macrobiotice. Ienae 1798. Tom. II. p. 248. „omnes cogitationes impressionesque animi cum vestimentis ante somnum deponendas esse," legens, qua regula observata, usque ad hodiernam diem, somno nocturno non unquam turbato, fruor. Sicque omnibus in rebus adhibita, salutis fundamentum bona est voluntas.

ses] in conspectu morborum a Perill. Ch. G. Hufeland denominatas convertor.

Generalis in febribus diaeta.

In febribus aër purus frigidulusque 15 — 16. R. habeatur. Excedente temperie febris putrida oriri potest. In criseos per cutem stadio solummodo, calida paululum augeatur. Ante atque post hoc temporis momentum autem ad solitum gradum redigatur. In febri putrida autem frigus adhibeatur: 1) aëre frigido renovando, qui et hieme quidem, saluberrimus est. Angli viis publicis aegrotos hac in febre exponunt. 2) Fomentationibus frigidis. 3) Aquae frigidissimae infusionibus. In synocha autem aër temperatus sit.

Aegrotus multum sorbeat, minimum comedat,*) ut sanguis refrigeretur, secretiones crisesque promoveantur. Solida non digeruntur, cruditates indigestionesque generant. Aeger saepe, sed non multum una vice hauriat. Potus sit frigidulus, ex acidis vegetabilibus cum sacharo, syrupo Rubi Idaei, cerasorumque, pomorum acidorum, malorumve decocto. constet. Mitis, mucosaeque sit naturae, quia magis resorbetur, cum sanguine commiscetur. In panem ustum aqua

---

*) Hippocrat, Aphor. Sect. I. XI.
- - - VIII.
- - - XVI.

ebulliens infundatur, sacharum citrique acidum addantur. Decoct. hordei cum oxymelle simplici. Hippocratis *) R. Hord. excort. Unc. jj coq. c. Aq. font. s. q. Col. Unc. v. jjj adde: Syrup. rub. Id., Oxym. simpl. ãã Unc. sem. S pro potu ordinario. Mucilaginosa, acida, praecipue acidum tartaricum, decoctum Crystallinum: R Cremor. tart. U. sem. coq. c. I f. libr. Aq. III ad III ad de pomi citr. conci. s. No. 1. sachalb. Unc. 11½ Quod urinae secretionem etiam promovet. Acidum vitrioli c. Syrup. Rub. Id. aliaque acida miner. in febri putrida apta sunt. Generalis febrium praeprimis inflamationum diaeta relaxationem poscit. Aquae minerales, Selteranae, aliaeque gas carbonicum evolventes, congestiones producunt, neque sorbeantur. Hydromel coctum expectorationem, urinae alvique excretionem promovet**), Oxymel pro se, velcum aqua mixtum expectorat***). Fructus fragariae c. succo citri, rubi idaei, ribium in aqua expressorum, sacharo addito, ptisanae ex avena, hordeo, paratae, decoctum oryzae, vel hord. excort. cum acido citrino sacharoque instructum, juvant. In horrore infusum fl. chamom. sambuci, melissae etc. tepide saepe atque lente sorbeatur.

Solida esculenta indicataquidem non sunt, infirmis autem concedantur. Sed cave ne nutrias,

---

*) χύλος, ῥόφημα χύλος Hippocratis, ptisana colata, cremor hordei.

**) Hippocrat. de vict. ratione in m. ac. l. III. c. 2. p. 251.

***) Hipp. de v. rat. 7. in m. a. l. III. c. 2. p. 253.

sed saties solummodo, gustusque nervis mulceas, atque remissionis vel intermissionis duntaxat tempore praebeantur. Nec pultes e farina confectae, neque opera pistoria, nec cibi pingues durique, sed digestu faciles, fluidique sint, calorem non generent, quare nutrientia, carnes earumque jura, cerevisiae, condimentaque repugnentur. Vegetabilibus, quae putrescentiam et obstructionem non promovent, aegrotus vescatur. Iura mitia ex avena decorticata, pane, pomis coctis, malis atque prunis confectis, olera facilia recensque carpta, rumex acetosa, lactuca, endivia, cocta in remissione adhibeantnr *).

Succi fructuum ribium rubrorum, cerasorum, fragariae cum sacharo confecti, cucumeres sativi, lepidium sativum (Gartenkresse), pimpinella, ruta, cochlearia, artemisia (Beyfuss), hyssopus, scorzonera et alia cum aceto parata, salubria sunt. Quae alimentaria omnibus in febribus, ratione habita, assumi possunt, dum febres inflammatoriae aquosa atque mucilaginosa, putridae autem antiseptica, acidula magis postulant. In febribus intermittentibus potus calidos, horrore durante, ut calor atque sudor accelerentur, porrigimus. In calore aucto potus aciduli, refrigerantes apti sunt. Intermissionum temporibus, aegroto debili, aquae cerasorum, cinnamomi, fructuum mororum etc., gelatinae cornu cervi cum vino paratae, vinum

---

*) Hippocr. περὶ διαίτης lib. II. p. 47. ed. Hall. — de affection. p. 390.

cum pane triticeo tosto, aqua flor. Aurantii, nuces moschatae, cardamomum minus, infusum rd. ethb. cichorei porrigantur.

Inflammationum diaeta e febrium assumpta est. Aër moderatus sit. Potulenta lubricantia, mucilaginosa, saponacea tepida cum infirmis solummodo acidis, conjuncta, parentur. Grossulariae, mororum, rubi idaei, fragariae, myrtillorumque fructus expressi cum sacharo confecti expectorant. Quod ad alias res diaeteticas in morbis acutis attinet, aegroti tranquillitas maxime necessaria est. Motus antagonisticus congestiones derivaturus, cui frictio annumeratur, institui potest, quae non cohaerentiam solam mutat, sed blanda etiam agitatione nervos partesque vivas sollicitat. Hinc veteres maximi fecerunt frictiones. Vide pag. 38. Situs horizontalis instituatur. Partes inflammatae autem, erecte optime sustineantur. Quare asthmatici pleuriticique pectore libero sedentes, optime se habent. Somnus placidus maximopere juvandus est. Removeantur quae sanguinis circulationem turbent vel exacerbent. Involucra aegrotum equaliter obtegant. Cubiculum vastum, purumque sit, luminibus paululum obfuscetur. Strepitus, tumultusque detineantur. Aegrotus in cubiculo, situque consueto, si fieri potest, incumbat. Si ephidrosis noxia oriatur, integumenta caute refrigerentur, lintea saepe mutentur, cubiculi temperies paulatim imminuatur. Partes inflammatae levius tegantur. Omnibus in encephali pectorisque inflammationibus autem pedes

vide infra pedes calidi sint. De alvi urinaeque promovenda excretione. Ut regulae psychicae curationem sustineant. Omnes animi affectus in synocha, qui impressionem vividiorem relinquunt, evitentur, tranquillitas juvetur. In morbis exquisite inflammatoriis, aegroto nimis securo atque exhalarato, timor modice excitetur. In febribus nervosis contra impressiones moderatae sensuum organa ampene et moderate afficiant.

Quibus sensuum organis in convalescentia autem aeger parcat. Si animi insaniunt, saepius assentiendum, quam repugnandum, paulatimque nec evidenter ab his, quae stulte dicuntur, ad meliora mentem abducendam esse, Celsus praecepit.

Si deiria autem vaga inconstantiaque sunt, aegroti cubiculum placido atque modico lumine illustretur, Ita ut oculi a certo objecto contineantur *); musicae ars his in deliriis maxime etiam juvat. Sin autem turbulenta, infestaque sunt, aegrotus saevit atque furit, omnia sensuum irritamenta detrahantur, cubiculum obfuscetur, omnis strepitus removeatur, et medicus, Aretaeo suavente, mite at cum gravitate aegrotum alloquatur. Quandoque autem objurgatione minisque prohibendus est. In febre intermittente aeger in conservanda praescripta diaeta perseverare intime monendus est. Animus exhilaretur imaginatio jucunde occupetur, stomachus, aegritudo, tristitia sollicite detineantur. Firma,

*) Cael. Aureliani opera L. I. c. 9.

summa, maximaque fiducia in medicamentis collocetur; quare aegrotus magna cum cura, anxia diligentia, severitate medicamentis uti jubeatur. Corticis chinae porrigendi ratio a medico ideoque mutetur. Appropinquante paroxysmo fixa aegri attentio derivetur. Atque si febris intermittens e sensibilitate nervosa diuturna facta est, leves animi affectus, inopinatum gaudium, facilis horror, cujus objectum non magni est momenti, cieri possunt. Et sympathetica saepe prosunt. Severum animi regimen in convalescentia recidivis praecavet. In Exanthematibus aëris temperies paululum tepidior atque calidior sit, sed 18—20° R. non superet, neque cubile nimios sudores proferat. Ante et post eruptionis stadium autem aëris temperies utique in aliis morbis frigidula sit. Sin autem ad putredinem inclinantur aegroti, liber aëris meatus salutaris est, vaporesque ex aceto parati exhalentur. Esculenta, e. g. carnes, quae putredinem augent, in febrilibus vitentur, antiseptica autem antecellunt. Febrium diaeta et hac in classe omnino conservetur. Febris natura et hic respiciatur, gravior refrigerans, invalida autem incitans atque diaphoreticum regimen diaeteticum requirunt. Exanthemata chronica nimium carnium, ferarum praecipue, piscium marinorum, dapium pinguium, digestuque difficilium, fumatarum, acrium, salitarumque, atque spirituosorum, et condimentorum, aceti, cepae, raphani olerumque

usum vetant. Inter alia nutrimenta autem quae supra jam memorata sunt, in exanthematibus chronicis lac atque serum lactis, ptisanae cum lacte paratae, fructus horaei recentes commendantur. Diaeta omnino mucosa requiritur, quae acrimonias involvat, mitiget, melioremque reddat, quare ova molliter cocta, tenera columbae, phasiani galli domestici, vitulicaro cocta,*) pisces concoctu faciles, barca fluviatilis, cyprinus carassus etc., olerum genera mitia, ciceres, fabae recentes, asparagus, lactuca, cucumeres et similia cum aceti paululo confecta, ovique vitello mitigata; mucilagines ex avena vel hordeo excorticato cum sacharo vinoque rhenano paratae, gelatina e pani cum jusculo pullino vel vitulino ovorum vitellis subacta, emulsio amygdalina, Chocolata, Orsade (emulsio amygdalina cum aqua hordeacea) vel Rosade (cum aqua rosarum parata), limoniorum succo sacharoque additis, juvant. Balneorum usum vide supra. Cavendum solummodo est, ne perfrigant aegri protinus e labro egressi sunt, sed potius quieti semet tradant, in tepidoque aëre degant. Aegrotus, crisi appropinquante, lintea, indusiaque non mutet, absque animi aegritudinibus perturbationibusque serveur.

*) Sanctorii ars de medicina statica. Venetiis 1619. p. 81.

Neuroses.

Omnibus in neuroseos fere morbis, causis remotis, debilitas praevalet, atque diaeta roborans secundum individuum speciatim ordinata, requiritur, digestio sensoriumque labefactata summe respiciantur. Omnes hujus classis aegroti aëre puro, liberoque fruantur. Quod ad alimenta attinet, haec variorum morborum varia stadia, variasque causas sequuntur. Incitabilitatis, et sensibilitatis penuria, apoplexiae, lipothymiae, vertiginis, aliorumque paroxysmi alimenta respuunt. Medicis indicationibus satisfacientes, ne laedatur aegrotus, praecavemus, et paroxysmis remotis, convalescentiae diaeta requiritur. Plantae acres condimentaque, raphanus, sinapi, cepae, acetum, fructusque horaei aciduli, olera inflantia, tubera solani, brassica, carnes pingues, ova, pultes in sensibilitate aucta rejiciuntur. Animalia et vegetabilia concoctu facilia non tantae mucilaginosae conditaeque indolis, reficiunt. Proclives ad spasmos acida, et spirituosa rejiciant, sed exanthematicorum alimentis, florum chamomillae, hb. veronicae, melissae infuso, ptisanis, citri succo non addito, interdum cerevisiae invalidae, in prandio aquae vel vini rhenani cyatho utantur. Balnea tepida et aquae frigidae potus magnopere etiam laudantur. Motus autem maximam in neuroses vim agunt. In paroxysmis pedes non inflammati cum pannis laneis donec rubeant, in viscerum spasmis brachia pedesque fricentur. Si debilis autem incitabili-

tas, segnisque sanguinis circalatio adsunt, abdomencum pannis laneis calefactis fricetur, plantae pedis praecipue scopulis verrantur. Veteres hunc ad finem strigilibus ligneis vel metallicis uti sunt, quod medicamenta per strigilem instillare Celsus vocabat *). Quae frictio aliaque incitamenta aegrum e somno etiam resuscitant. Alias corporis agitationes supra jam tractabam. De morborum causis removendis infra loquendi occasio optima mihi affertur.

Methodus psychica morborum nervorum rationes atque conditiones aegroti intime respiciat, psychicasque regulas cum pharmaceuticis sapienter conjungat. Aegroti animus non male afficiatur, turbeturque, sedindulgentia atque amore curetur. Ipse aeger autem a similium aegritudinum conspectu, lectione, a solitudine detractus, negotia ut solito adimplens, de affectibus vigilet, eosque vitare et vincere discat. Atque morbi sequelas imaginatione augeri illum docere, inepte non est. Animus jucunde afficiatur, sine curis, maxima fiducia in medicum, remediaque habeatur. Paroxysmus aggressurus voluntatis atque contentionis vi persaepe supprimitur,*) quem ad finem exempla aegroto narrentur.

---

*) C. Celsus. de medicina l. II. 14.

**) Journal de pract. Heilk. v. Ch. W. Hufeland und J. M. Harles. 2. Band, 5. Stück 1815.

De Profluviis.

Profluvia debilitatis sequelae aërem purum frigidum alimentaque roborantia et nutrientia convalescentium requirunt. Si irritamenta atque acrimoniae subjacent, acidis atque adstringentibus, haemorrhagiis exceptis, sedanda non sunt, sed mucilaginosa, sequentisque classis diaetam poscunt. Spirituosa, coffea et cerevisia haemorrhagiam augent. Sed poma cocta, succo citri addito, ptisanae acidulae ex avena, hordeo paratae, aquae lactisque aequalis quantitas adhibeantur. In caeteris profluviis aqua sola, illis ptisanis sine acidis, infuso fl. chamom aquoso, lacte c. aqua diluto, atque diarrhoea gravi laborantes decocto concharum ppt. ℥jjj c. aquae lib. jjj ad reman. libr. jj, addita G. arb: ℥j, potu ordinario, vel mucilagine sem. cydonior. utantur. Omnes corporis agitationes, frictione partium remotarum excepta, vetentur, atque ab omnibus perturbationibus immunitas, securitas, silentium ut cum Celso loquar, quies jubeantur; ne animi affectus corporis motibus comitati sint. Pars, quae sanguinem effundit elatius sita sit. Haemorrhoides pollutionesque situm dorsalem non permittunt. Frigus in profluviis a debilitate sola ortis adhibeatur. Manuum pedumque lotio calida etiam praestantissime sanguini a superioribus partibus avocando inservit, quia calor, vasis ipsisque humoribus expansis, potenter attrahit. Culcitae plumeae et vestimenta cubitoria, calida vitentur. Incumbat aeger stragulis e

crinibus equini saut stramine factis; soluta sint membra a vinculis et vestibus arctioribus. Si nimia ex utero est sanguinis profusio, supina cubare, genubus contractis, aegra debet. Nec negligenda sunt, quae mechanice agunt. Compressio vasorum per digitos et torcularia, turundas, splenia gradata, lintea carpta quae in adynamia adstringentia vel mucilaginea excipere possunt. In sudore nimio integumenta aegroti calida caute, corpore non nudato, imminuantur, lintea saepe mutentur, cubiculi temperies gradatim frigidius habeatur. Nimia urinae excretio, debilitate subjacente, methodum roborantem requirit. Diarrhoea ex intestinorum laxitate, roborantia convalescentiumque diaetam postulat. Omnia profluvia non ab acrimonia sed vera debilitate sustenta, aqua frigida, balneis localibus, vel lotione frigida, vel pannis humidis frigidisque tegentibus applicata, salutem affert.

Humorum evacuandorum suppressiones alimentis flatulentis solidis, crassis, concoctuque difficilibus, omnibusque spirituosis, vino, cerevisia gravi, nobis interdicunt. Mucosa, oleosa, saponacea vel leniter irritantia prosunt. Pisces fluviatiles mites, avium juniorum carnes, jusculaque ex ipsis cum larga butyri copia parata, avenae hordeique, galacto-butyri jusculum (cum pane, passulis minoribus sacharoque paratum), poma cocta, eorumque, prunorum praecipue jura, olera plantaeque mitia paululum solummodo inflantia, alvum leniter ducentia, asparagus, spinachia, rumex ace

tosa, brassica cauliflora et talia plura juvant. Obstipatio prunis, uvis passis, pinguium carnium jusculis, avenae hordeique mucilagine, dapibus e lacte paratis, galactobutyro aliisque tollitur. Fructuum horaeorum aqua, oxymel, hydromel c. resolventibus, rd. hellenù, hb. hyssopi, hederae terrestris, in obstipatione potus coffeae cyathi nonnulli matutine sorbti, decoct. cerevisiae calidae c. pane secalino, uvis passis minor, sacharo butyroque paratum, decoct. prunorum, uvar. passar. enucleatar., rd. liquiritiae, serum lactis acidulum, mannatum, tamarindinatum cum nitro vel sale ammoniaco, decoct. avenae c. rd. cichorei agrestis c. nitro atque melle albido (ex quo duo cyathi matutine, duoque post coenam sumantur), juvant.

Urinae excretio asparago, petroselino, apio dulci (Zellerie), cremore tartari in Aq. soluto aliisque uriniferis in intumescentiis nominandis augetur. Amenorrhoea autem caute tractetur. Neque herbae floresque calidi, crocus, rosmarinus taliaque plura, decoct. concentratum coffeae, nec vina gravia aromatica sponte adhibeantur. Infusum fl. chamomillae aquosum, melissae, salviae sufficiat.

Omnes agitationum corporis rationes, frictio praeprimis aptae sunt. In obstipatione vaporaria ex infuso lacteo, fl. chamomillae, sambuci, vel potius clysmata adhibeantur. In supressa urinae excretione regimen calidius, semiluvia tepida mollientia, lotiones vel injectiones tepidae, fomen-

taque excretionem augent. Omnibus fere in suppressionibus balnea tepida, integumentaque calidiora in partes, quarum functiones haesitant, secundum antagonismi leges, salutaria sunt.

Intumescentiae, morbi causis, febri, aegrotique constitutione respectis, aërispuri frigidi plus minus indigent, alimenta mucosa inflantia, concoctuque difficilia, mollientia alimentaque calida, mucilagines, lac, poma, dapes farinosas oleraque respuunt. Fructus horaei cocti autem, eorumque jura, carnes mediae aetatis assatae, salitae, cum aceto paratae, mucosa et aquosa indole non scatentes, pullorum vitulorumque jura cum petroselino, apio (Sellery) parata, e piscibus: carassius, perca, salmo salar (Lachs) s. fario (Forelle), halex clupea (Heering) salita, sardella etc., hb. et radices amarae, uriniferae, nasturtium, lactuca, scorzonera, pimpinella, cochlearia, rumex acetosa, chaerophyllum, raphanus, radicula sativa minor, armoracia, cepa, asparagus, commendantur.

Potulenta transpirationem cutaneam, urinaeque excretionem augeant, infusum theae, fl. chamomillae cum succicitri magna copia, ptisanae supra jam memoratae, coffeae bonae potus, cerevisiae purae bene fermentatae, vini rhenani vel mosellani puri aut c. tribus aquae partibus commixti usus moderatus, fermentata e baccis juniperi cum absinthii turionibus potio parata, earumve succus expressus, frictione, integumen-

tisque paululum calidius aggressis, indicationibus satisfacient.

Emaciationes alimenta concoctu difficilia salina, acria, viscida, condimenta, spirituosa, recusant. Nutrientia, sed cauta manu concedantur. Viribus sufficientibus, febrique non eximia, juscula carnea, ova molliter cocta, lacteaque alimenta juvant. In ultimo stadio autem digestu facillima sola remanent, quae leguminosa e spinachia, brassica cauliflora, piso juniori, lactuca cocta parata; lactea cum aqua diluta; ptisanae sine acido, jusculum e pane sine citri succo confectum, gelatina e pane et lacte consistens, mucilago ex oryza parata cum lacte diluta, gelatina e fructibus sine vino, citrique acido, ptisana e pane praeparata, grana sago in aqua cocta, acido citri sacharoque additis, prosunt, vino rhenano admixto convalescentes reficiunt, gelatina e cornu cervi constructa, vel e farina secalina cum butyro perignem fuso cum sacharo composita, butyrum e plantis (ruta, salvia) cum cremore lactis instructum, decoctumque lichenis islandici, vires refocillant*). Potulenta nutrientia: lac aqua dilutum, galactobutyrum, serum lactis dulce, emulsio amygdalina, ptisanae jam memoratae sine acidocitri cum lacte mixtae, infusum hb. veronicae, melissae, teucrii

---

*) Joh. G. Reyher pathalog Diaet. Schwerin. 1790 pag. 39.

chamaedrys, rd. graminis minoris aquosum, pro theae potu ordinario, chocolata sine aromatibus ex cacao atque sacharo solis confecta, indicationes sustinent. Balnea, inunctiones, clysmata roborantia, corporis agitationes secundum virium rationem instituantur, quae sicuti animi affectus, ne hilariores subitaneae quidem, vires autem non consumant. Caeterum spes et constantia aegroti omni modo excitandae, excitatae servandae sunt.

Omnes cachexiae morbi aëris puri recensque hausti, syphilis, kyanosisque calidioris tamen indigent. Diaeta mucilaginea sit, quae acrimoniam involvat, mitiget, meliorem reddat, ideoque omnia condimenta, sal, acetum, cepa rephanus etc. carnium praecipue ferarum, piscium marinorum usus frequens, pinguia, concoctuque difficilia, oleraque gravia vetentur. Mel atque sal resolvunt. Juscula tenuia carnium juniorum cum herbis culinis, pisces fluviatiles, lactuca, aliaque supra nominata, fructus horaei cocti, cucumeres, ptisanae, jusculum e pane cum melle confectum, ova molliter cocta, exanthematum diaetam requirunt. Hisque infusum theae aquosum cum acido citrino, (in arthritide, syphili atque in kyanosi, ne tussis oriatur, sine acidis) ptisanae, coffeae potus modicus, interdum cerevisiae purae bene fermentatae, in prandio vini rhenani vel mosellani cyathus, vel cum Aq. triplo mixti, sequentesque potus: e baccis juniperi fermentatus, succus baccar. juniperi expressus, ptisanae e plantis resolventibus cum sale polychresto atque sy-

rupo fl. aurantii, vel ex uriniferis, diaphoreticis comparatae, accedunt.

Corporis agitationes viribus adaequatae, munditiès autem maxima habenda sint. Curatio hilaribus animi affectibus maxime acceleratur. Musice arthritidis paroxysmos jam leniebat; risus antiscrophulosum habetur, spem, animique alacritatem scorbuto solas medicatas fuisse, Lind docuit. Morbi locales, mucositate sicuti in helminthiasi gastrosi, praevalente, alimenta salina in aceto cocta, harengum salitum, clupeas encrasicolos etc. cepae, raphani, allii, sinapi usum poscunt, farinacea autem, lac, sacharum, mel, omniaque dulcia recusant. Cremorem tart. vel salmir. Gl. in aqua solutum decoct. lactis c. allio, vinum rubrum c. acido; citrino, sal culinare aeger jejunus assumat. Infusum hyssopi saepe proficuum erat. Quae remedia autem per aliquot dies usitata laxans sequatur. Clysmata ex aceto c. aqua diluto, vel decocto ceparum salubria sunt.

Omnes corporis agitationes adhiberi possunt. Balnea etiam proficua, atque cum mucilagineis uriniferisque conjuncta lithiasin curant.

Quod ad morbos locales attinet, horum regimen diaeteticum medentis ingenium, praemissis praemittendis, facile regere poterit. Ille morbo liberatus temperantia maxima, in convalescentia utatur, nunquam unavice, subitoque satietur, sed coenas parciores frequentioresque, nullo tempore dato, obeat, ne alimentorum moles ventriculum opprimat. Aegrotus solita gradatim adeat, paul-

atimque roboretur, quare aëris vicissitudinem sensim sensimque aggrediatur, gelatinosis mucilagineisque digestu facilibus fruatur. Quae vero brevi temporis spatio extenuata sunt corpora, repente reficere oportet *). Solida digestu facilia sint, pisces fluviatiles, mites, berca, lucio perca (Zander) b. fluviatiles cyprinus carassius etc., legumina mitia, spinachia, pisa fabaeque juniora, lactucae coctae, panis triticeus bene fermentatus, fructus horaei cocti, conditique liquidi, oryzae mucilago, aqua vinoque rhenano admixtis, ptisanae lacteae, sago, hordeum excorticatum, jura pullina, vitulina c. ovi vitellis parata, ptisanae ex avenaehordeique mucilagine c. vino rhenano et cinnamomo, grana sago c. vino rhenano vel rubro, ovorum vitelli c. vino rubro, sacharoque pulverato, jusculum ex astaco fluviatili paratum juvant; succus e fructibus horaeis expressus, cum ovi vitello, succo citrino, vino, pane trito sacharoque admixtis, vires refocillant.

Potiones nimiae ventriculum hoc in statu relaxant, debilitant, viresque recipiendi finem turbant. Nec illico, morbo superato vinum, sed invalidiores potiones assumat aeger, coffeae c lacte, chocolatae sine aromatibus, cerevisiae bonae, vel vini rhenani in coena potus modicus, fructuum horaeorum decoctum c. condimentis, vinum c. aromatibus decoctum, vel spiritus vini in minori copia porrectus, vires aegroto reddunt, fibrarumque incitabilitatem roborant.

---

*) Hippocrat. Aphor. lib. II. 7.

Aegroto a corporis agitationibus levibus, ad fortiores gravioresque a passivis ad activas lente transeundum est, nec sudor, nec lassitudo exiis oriantur. Loco mutato, animus reficitur, morbique memoria deletur.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Davides Arnheim, die XXIII. Decembris anni nonagesimi septimi saeculi superioris, Penzlini, Magni Ducatus Megapolitani oppido, parentibus ibidem viventibus, natus sum. Primis scientiarum elementis in urbe natali a Clar. Pfeiffer, rectore summecolendo acceptis, litteris vacandi studio ductus, Berolinum, gymnasium Colonio-Berolinense, duce Cel. Bellermann, anno tredecimo hujus saeculi petivi, ibique per quatuor annos et tres menses in altioribus litterarum studiis, postquam primam classem perannum et tres menses frequentaveram, edoctus, almae universitatis Berolinensis civibus, Rectore Magnifico Link die XII. Octobris MDCCCXVII. Prodecano Spectabili Graefe, facultati medicae adscriptus sum. Quo ex tempore hasce virorum celeberrimorum praelectiones frequentavi. Celeb. Hegel logicen, Jll. Knape et Rudolphi cadaverum dissecandorum rationem, Jll. Hermbstaedt chemiam, Jll. Knape osteologiam, splanchnologiam, syndesmologiam; Jll. Rudolphi sensuum organorum anatomiam, physiologiam, anatomiam comparatam et pathologicam me docuerunt. De botanice, historia naturali, pharmacologia Cel. Link, de pathologia generali, Semiotice, therapia generali et speciali Clar. Fried. Hufeland, de pathologia speciali Jll. Horn, de infantum morbis Cel. Richter, de fontibus medicatis Cel.

Osann disserentes audivi. Jll. Berends materiam medicam, inflammationes, Perill. Hufeland therapiam specialem mihi tradiderunt. Jll. Graefe et Rust chirurgiam et aciurgiam mihi illustrarunt. De arte obstetricia a Cel. Kluge, Jll. de Siebold, Clar. Friedländer institutus sum. Medicinae praxin aggressurum Perill. Hufeland per tria semestria, famuli munere fungentem Jll. Berends, Cel. Neumann, Jll. Graefe et Rust benevole me admiserunt. Tentamine et examine rigoroso rite absolutis, dissertatione inaugurali conscripta publiceque defensa, spero fore ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Hirudo applicata derivatione vires suas exserit.

II.

Omnis morborum praeservatio in diaeta bene instituenda, consistit.

III.

Nullum medicamentum, diaeta repugnante, morbum curat.

IV.

Omnium morborum curatio in causis removendis, functionibusque ordinandis, collocatur.

V.

Magnetismus, animum aegroti a morbo detrahens, laudabilis est.
